



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Quod religiosi solitarij, non inutiles, sed valdè fructuosi omnibus hominibus  
sint. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

do prædicatur disseminaturq; Ita etiam religiosorum canon ob absolutio-  
rem Euangelij adimpletionem per homines à Deo est ordinatus & datus, nõ  
tamen vsque aded, vt ipsas regulas veteri vel nouo testamento componere  
velim: minime id quidem, sed vt similitudine quadam hinc eliciamus, re-  
gulas monastica & religiosa vitæ ( quarum fundamentum est ex ipso Euan-  
gelio ) per homines quidem promulgatus esse, nec tamen ex proprio ipso-  
humano spiritu confictas, sed à sancto Spiritu qui mentes illorum illuminã-  
rit, docuerit, & ad hoc instigãrit. Cuius sanè certum ac euidentis signum ha-  
buerunt, quod instituta dogmataq; sua à Deo essent, quod ipsos Deus ( vt o-  
mnibus religiosorum ordinum inchoatoribus & autoribus contigit ) gran-  
dibus miraculis prodigijsq; ( quæ alioqui humanis viribus impossibilia fu-  
issent ) donauerit, ad confirmationem huiuscemodi propositi & canonis,  
vnde Deo ipsum placere, & ex Deo esse, ita per homines ad communem san-  
ctæ & Catholicæ Ecclesiæ institutum, constare possit: hoc est, ad suæ cuiusli-  
bet animæ, tum etiam proximorum salutem.

Canones  
monastici  
cur instituti.

Miracula  
cur adiuncta  
monastico-  
rum ordinũ  
architectis.

Quapropter Spiritus sanctus quoque, qui suam moderatur Ecclesiam, ita  
disposuit, vt religiosi propositi tam diuersi ordines existant, quorum non-  
nulli ad concionandũ & docendum, nonnulli ad ministrandũ ægrotis, nõ-  
nulli ad tutandã fidem, nonnulli ad liberandos captiuos, nonnulli ad ele-  
emosynam inopibus præstandã, eosdemq; hospitio excipiendos, omnes  
tamen ad Deum canendo & orando & gratias agẽdo, laudandũ, ipsiq; mũ-  
do corde adharendũ, sunt destinati.

Curtam di-  
uersa sunt  
religiosæ  
vitæ institu-  
ta.

*Quod Religiosi, qui propter propositum suum soli dñi, aut separati ab hominibus  
sunt, non inuiles, sed valde viles & fructuosi omnibus hominibus sint.*

Caput XV.

**P**RÆTER religiosos reliquos, sunt adhuc alij, qui se potissimum iuxta in-  
stitutum regula, decretorumq; suorum eo conferunt, vt vitam separa-  
tam ducant. Equibus religiosi separatis, nõnulli sese totos ab alijs ho-  
minibus seiungunt, & ijs, à quibus sese per corporalem sequaltrauerunt ab-  
sentiam, tanto vtiliores sint, quanto à bono proposito suo, quod pro se suisq;  
proximis amplexi sunt, minus impediuntur, hoc est, cum se istius abstra-  
ctæ vitæ causa mundiõres à seculo conseruant, & aptiores Deo faciunt: quẽ-  
admodum illi, qui hac ratione attentiores deuotioresq; erga Deum in ratio-  
ne sua permanet, in qua tum propria, tum aliena peccata deplorãt, & gra-  
tias agunt Deo, eumq; laudant, & pro viujs mortuisq; precantur. Idcirco  
ipsi non inuiles, sed perquam viles in Ecclesia sancta existunt, tametsi per  
populum non cursitent, vagenturq;, sed se à plebe remoueat, & à mundo  
conspici nolint. Qua de causa tali exemplo ( etiam si nulla hinc alia causa et  
utilitas, ) proximos suos emendant, dãm vita sua ( quod alij prædicant ) quo  
pacto mundum quisque contemnere, carnem castigare, voluptates sensuum  
præscindere, in cordis munditie se Deo dedicare, Deum laudare, Deum ado-  
rare, Deo adherere, sese cum Deo vnire debeat, ostendunt.

Monachi  
quidam cur  
se penitus  
ab hominũ  
confortio  
separent.

Religiosos  
solitarios cũ  
primis frugiferos esse  
hominibus

Præter hunc fructum est alius quoque: nimirum hic, quod tales homines  
quo sunt separatis à mundo vitæ, hoc magis accommodi idoneiq; sunt ad  
gratiam Dei deprecandã, ipsiusq; gratiam mundo impetrandã. **Quinto**  
abstracti



Solitarios  
religiosos  
suis preci-  
bus impe-  
trare concio-  
sioribus  
gratia fru-  
ctificandi.  
Exod. 17.

abstracti huiusmodi religiosi orant & exorant Deum, vt aliorum opera & diligentia, qui concionando & laborando diligentiam adhibent, siue se exercent, fructuosa fiat.

Huius perspicuam figuram in Exodo habemus, quando à Mose Iosue ad preliandum contra Amalechitas missus fuit. Interea vt dicitur *Moses & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis.* Prælio autem inter Iosue cum suo populo & repugnantes Amalechitas exorsio, seorsum Moses super colle quietus erat, & manus suas ad Deum leuabat, pro populo suo orans. *Cumq; leuaret Moses superabat Amalech,* id est, hostes. Nunc mihi cedo, quis utilior prælianti populo fueris, Iosue, qui dux erat, & ipse in pugna suapte manu dimicabat, an Moses, qui in tranquillitate & quiete extra plebem Deum pro populo inuocabat precabaturq;? Dices profecto Mosen oratione sua, qua populus suus hostes superabat, & sine qua populum suum hostes vincebant, plus profuisse, quam Iosue, qui inquietus erat, & sua manu contra hostes operabatur. Ita etiam accidit in religiosis, & à mundo diuisis, Deum amantibus hominibus. Quorum oratio & vita pura vsque adeò Deo accepta est, vt interdum in quiete & sua cum Deo conglutinatione (propter quam à negocijs externis remoti sunt, & apud Deum instant) magis fructificent, quam alij suo labore: imò vt aliorum sit conatus frugifer, per hominum talium merita fiat. Qui hoc non potest intelligere, non intelligit etiam, quod in regno aliquo sæpenumero vsuuenit, vt is, plus Reipub. utilitatis afferat & adducat, qui quietus est apud regem, & assiduus est pro commodo publico apud regem intercessor, quam alius quispiam, qui terras peragrat & perambulat. Sic fit quoque, vt nonnunquam simplex & illiteratus homo ex mûdo corde & flagranti amore pro proximis suis, vel ciuitate quadam, vel tota Ecclesia Deum efflagitet, & amplius impetret aut citius exaudiatur, quam qui in externis exercitationibus & curis pro iisdem causis sedulo laborant. Ideò Paulus etiam plus orationi, quam labori proprio concionatione fudit, quod crebro quoque commemorat scribens, quomodo pro his illisve præcetur, & quo pacto ipsum Deum in hac illave causa exaudiuerit: item dum alienas sæpenumero implorat preces, vt suam Deum reddat fructuosâ prædicationem. Hęc ob id dicta sunt omnia, ne inutiles isti homines existimentur, qui se remouēt, & separatos se à mûdo custodiunt, & in externis operosis negocijs non utiliter pro alijs hominib. laborare vidētur, cū interim excellentiori alio modo plus mundo prodesse possint, & in eo potissimum, quod antequam optinam partem, hoc est, Deum elegerint, cui adherent, & quem precibus fatigant & placant, & nonnunquam in momento temporis ab eo impetrant pro quo plerique alij multo annis sollicitudinibus molestijs, laboribus & varijs humanis industrijs laborauerunt. Id quod facile ex veteri nouoq; instrumento perspicitur, maximas semper causas oratione magis à Deo impetratas, quam humanis curis confectas esse.

Solitarioꝝ  
oratio & vi-  
ta pura quæ  
efficax apud  
Deum.

Orationi  
Apostolus  
plus quam  
labori suo  
fudit.  
1 Cor. 15  
2 Cor. 1  
2 Tess. 3  
Colloff. 4

Lucæ 10

Quod